Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40115
Copyright: Melk, Benediktinerstift

De incorrigibilibus expellendis

Ministri vero moneant fratrum et sororum culpas consilia visitatori denunciet corrigendas et si quis incorrigibilis fuerit post tertie admonitionis instantiam a ministro ex discretorum fratrum aliquorum consilio visitatori nuncietur idem de fraternitatis consortio abiciendus ab ipso et in congregatione postmodum publicandus

De non servantibus quod non peccant mortaliter

Ceterum in premissis omnibus ad que fratres et sorores vestri ordinis non ex divinis preceptis vel statutis ecclesie tenentur nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligari sed impositam sibi penitentiam pro transgressionis excessu prompta humilitate recipiat et efficaciter studeat adimplere

Confirmatio predictorum

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti et ordinationis infringere vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum petri et pauli apostolorum eius se noverit incursurum.
Datum Reate quintodecimo kl. Septembris pontificatus nostri Anno eo secundo.

Explicit regula continentium

Modus et forma recipiendi ad professionem

Stet ergo frater sive soror genuflexus in capitulo manibus iunctis inter manus recipientis et dicat recipiens et ille respondeat verba subscripta et hec professio fiat coram publico notario.